



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

20. De mortificando gustu quoad lautitiam eduliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

odoribus. Supremus verò iudex Deus, ut omnibus declararet, quantum hic excessus diuinæ suæ maiestati displiceret, horribili morbo, qui omnes eius depasceret, & putrefaceret artus, eam percussit. Vnde factum, ut tam scotos ac intolerabiles expiraret odores, vtius conspectum amici, famuli, ancillæque omnes defugerent: vnica ancillæ tantum animi fuit, ut auderet in conspectum eius prodire, sed ita tamen, ut curriculo ad eam excurreret, & apud eam deponeret, quod erat adferendum, ac mox iterum ob nimiam graueolentiam excederet. Sic illa, cui prius tot suppetebant seruitia, ab omnibus turpiter deserta, in sordibus teterrimis animam exhalauit.

CAPVT XX.

*De mortificando gustu quo ad lauitiem
eduliorum.*

Multæ maximæque inordinationes sunt in sensu gustus, quas necesse est ope mortificationis ad cauenda varia peccata, virtutesque conseruandas, & augendas, in ordinem redigi. Inordinatio gustus est, inhiare cibus lauitioribus palatum

obis

oblectantibus. Hæc autem mortifican-
da est, non curiosè quærendo edulia o-
pipara, magnaq; cocorum arte & labo-
re condita, sed communia, nullaq; sin-
gulari arte parata, ac quæ ad vitam ho-
minis sani sustentandam satis sint: in-
firmis enim lautiora ob necessitatem
conueniunt. Debet homo, inquit, B. Ba-
silius, refrænare gustatum cibus lautio-
ribus inhiantem, rationeque ita mode-
rari, vt, non nisi ad vitam necessaria ei
subministret, condimenta autem om-
nia lautiora, quæ sunt vitiorum incen-
tium, subtrahat. Adiungit huic docu-
mento S. Vincentius Ferrerius seruum
Dei ex ferculis mensæ appositis liben-
tius vti debere minus lautis, & in
quæ praua naturæ inclinatione minus
fertur.

*Lib de veré
virgin.*

*De vita spir.
c. 3.*

Quæret aliquis, cum omnes cibi sint
creaturæ Dei, & bonæ, ac in hominis
ministerium ordinatæ, cur non omnes
æquè expeti possint? Respondeo: Deum
ipsum, qui creauit pisces, aues, aliaque
amantia in hominis vsum & victum,
simul tulisse legem de temperantia, vt
nempe vnusquisque conuenienter suæ
dispositioni his cibus vteretur, nempe
sanus vt sanus, æger vt æger, imbecil-
lis vt imbecillis, hoc est, quisque qua-
tenus

V tenus

S
ex Deus,
atum hic
displiee-
nes eius
us, eam
n fædos
es, vte-
ancillaz-
ancillu-
leret in
ita ta-
eret, &
t adfe-
m gra-
iprius
nibus
rimis

nem

lina-
stus,
fica-
irtu-
s, in
stus
um
is

tenus necessitas postulârit. Deinde, quia homo in peccatum lapsus est, & affectiones habet inordinatas, idem Deus aliam legem tulit Pœnitentiæ & Mortificationis, qua cautum est, ut quoniam homo peccando se statum est oblectationem vitiam, & illicitam, per satisfactionem quoque licitis quibusdam oblectamentis se priuet, & frænum effrænatis passionibus iniiciat. Itaque licet omnes creaturæ sint bonæ, & in usum hominis conditæ, tamen usus earum potest esse prauus, vel minus bonus, eò quod non congruat cum dictis Dei legibus. Hæc responsio est D. Augustini, dum ait: *Ne homo fame moreretur omnia ad esum Deus creauit: sed ne mensuram comedendi excederet, abstinentiam imperauit. Quæ propter sicut ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere, nequaquam videlicet illis voluptatem appetens, sed necessari succurrens.* Idem exemplo suo docuit omnes sancti. Omitto illos, qui in solitudine solis herbis victitârunt, fructibusque syluestribus. Taceo eos, qui in cœnobijs pane, alij que vilioribus escis & inspidis vitam tolerârunt, quæ in re non dubium est eos Deo placuisse, cum Dominus ipse, testibus Euan-

Tom. 9. de
conflictu vi-
tior. c. 18.

geli-

gelistis, laudauerit Ioannem Baptistam ob hanc victus seueritatem, dum vesceretur aridis locustis & melle syluestri: imò non sine magnis miraculis multis sanctis, cum nullo studio habere possent, huiusmodi cibos subministravit. Verùm prætermiſſis illis, quos non omnes imitari queunt, videamus quanta victus tenuitate vsi sint cæteri sancti, etiam Episcopi & Prælati aliorum.

Sanctus Augustinus ferè abstinebat ab esu carniùm, alijsque ciborum lautitijs, & vescebatur herbis ac leguminibus, in quibus exiguum erat oblectamentum gustus: conuiuia quoque declinabat, ne consuetam violaret abstinentiam. *Posid. in vè- ta eius t. 270*

Sanctus Godfridus Ambianensis Episcopus, etsi pro immensa sua charitate, qua flagrabat, nihil deesse suis subditis, quoad victum necessarium sinebat, tamen ipse solo pane, paucisque herbis & fructibus vitam tolerabat. Cumque cocus nescio quid herbis miscuisset, eum accersitum coarguit, dicens: An ignoras tu miseram carnem subigi non posse, nisi tormento ieiunij? cur mihi apposuisti cibum tanta arte paratum? Vide, ne deinceps in hoc genere *Nicol. monachus in eius vita.*

nere delinquas, & me ad iracundiam prouoces.

*Metaphr. in
eius vita.*

S. Chrysostomus quoque post susceptum Archiepiscopatum carniū, aliorumq; eduliorum saporum esu abstinuit, solo contentus ad vitam sustentandam pulmento hordeaceo.

*Bern. Justin.
in eius vita.*

Beat. Laurentius Iustinianus, etsi in adolescentia sua, vt erat prænobilis ortus prosapia, multis assueuisset mundi delitijs, tamen ad Venetum Patriarchatum euectus, vulgari tantum mensa usus est, edulijque palato suo insipidis. Vnde si errore aliquo quandoque esculenta poculentaue ad gustum acerbiora apposita essent, vt pro vino acetum, neminem arguebat, sed silentio dissimulabat.

*Surius in
Decemb.*

S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & martyr Christi gloriosus, quamuis, antequam diuinitus esset illustratus, multis lautitijs à parentibus genere nobilibus & copiosis fuisset nutritus, tamen postquam persecutione regia pro iustitiæ defensione exagitari cœpit, admirandam vitæ mutationem iniit. Nam, teste Eduardo, præcipuo vitæ eius scriptore, qui antè vivebatur mensa opipare instructa, magnosq; Dominos, atque aded ipsum quoque

An-

Anglorum Regem, habebat conuiuas, leguminibus alijsque vilissimis cibis, pauperibus ad mensam adhibitis, vesci voluit. Hæc temperantia ab omnibus sanctis ad mortificandum gustum fuit exercitata: Licet enim præcipuum studium posuerint in colendis perfectioribus virtutibus, vt charitate & religione in Deum, tamen dictam abstinentiam non neglexere, quòd scirent eam quoque gratam Deo, & salutarem animæ suæ.

Hæc verò doctrina tam rationi consentanea est, vt ne Gentiles quidem, in quibus rationis lumen non omninò fuit obscuratū, ignorarint dictas temperantiæ leges esse obseruandas. Inter Græcos virtutum cultu cæteris præluxere Lacedæmonij olim, & filij Israel 7. arcissimo amicitiaæ fœdere copulati. Cum enim, vt commemorat Maximus Tyrius Philosophus, aliquando in eorum prouinciam venisset rei culinariæ peritissimus, Mithecus Syracusanus, qui ob exquisitissimam apparadorum ciborum rationem magnum nomen in cæteris Græciæ partibus voluptati & delitijs plus æquò addictis collegerat, Lacedæmonij gnari lautitiem istam capitalem bonorum morū esse pestem,

lib. in sermo

au^otoritate publica Magistratus, solum vertere eum iusserunt rati labore potius, & exercitatione assidua corporis, quam suauibus esculentorum condimentis, esse acuendum appetitum. Quod nonnulli gentiles agnoscere, & exercere natura duce cœperunt, illud magni Dei serui in omnibus mundi partibus, opitulante Christi gratia, perfectè complerunt.

Neque ideò arcemus homines vere virtutis studiosos à mensis lautioribus omnibus, quando vel necessitas, vel obedientia maioribus debita id exigit, vt ne conuiuia omnia repudiemus: nam & charitas sæpè persuadet, vt de consueta seueritate aliquid remittamus, ad solandos & recreandos hospites, aliosque quorum conuersatio nobis proficua est. Id tantum dico, dum respectus hi absunt, nos, quantum in nobis est, debere fugere istas lautitias ad mortificandum gustatum, imitandumque Christum crucifixum, qui propter nos felle & aceto potatus est.

* * *